



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De operibus solidæque devotionis exercitiis, quæ vel quotidie non
peraguntur, ves fusiore indigent explicatione, quomodo cum majori fructu
peragi possint

Limpens, Ferdinand

Coloniæ Agrippinæ, 1744

28. De Septuagesima & Feria 4ta Cinerum.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54780)

Octavæ fieret simul commemoratio Dominicæ, ordine perverso ætatis ac vitæ Christi, quæ ab Ecclesia in officio divino per annum repræsentatur, Christus prius legèretur trigésimum vitæ annum habens, antequam repræsentetur duodennis.

28. De Septuagesima & Feria 4ta Cinerum.

NOto seqq. ex Gav. l. c. à c. 9. *Primo.* Non dicitur in Septuagesima *Alleluja* bis eo cantato & repetito in fine primarum Vesperarum. Quia in iis adhuc insinuatür gaudium humani generis ob Christum natum. Ex post autem in Septuagesima repræsentatur sine Christo humanum genus peccato Adæ per traducem obstrictum. Melius fors tibi videretur servari ordo, si Nativitati Christi præmitteretur memoria lapsus Adami. Sed quia Ecclesia conatur in omnibus servare ordinem, vel maximè debet se accommodare anni temporibus, quibus circiter fidei nostræ mysteria contingere. Quia ergo peccatum Adæ probabilius contigit circa ver, sicut & verno tempore passio & mors Christi. Hinc sicut Nativitati Christi in Decembri factæ præmittit Adventus tempore suspiria Patrum in limbo, ita & in Septuagesima memoriam peccati Adæ. Pro quo omnique originali ac actuali peccato Christus passione ac morte suâ infinitis satisfecit. Porro licet per *Te Laus tibi Domine* æquè laudetur Deus, ac per *Te Alleluja*. Primum tamen apud Latinos non est exultantis præcisè signum, sicut secundum apud Hebræos fuit,

fuit, sed humiliori quodam modo laudes Dei ingerit. 2do. Feria 4ta Cinerum nulli cedit festo, quia eo die convenit, ut populus Christianus publica det indicia pœnitentiæ, nec ullos festivos agat dies.

29. *De Quadragesimali tempore.*

NOto ex Gav. l. c. sequentia. *Primò.* In Quadragesima dicuntur in Choro [cui laudabiliter extra Chorum nos accommodamus] Vesperæ ante plenam refectioem sive prandium, quia antiquitus solvebatur jejunium in Quadragesimâ horâ Cœnæ post dictas vel cantatas Vesperas. Et licet horam hanc Cœnæ modo anticipemus in prandio, retinemus tamen vocabulum Cœnæ, cui benedicimus eâ prece, quæ adhibetur ad Cœnam *Edent pauperes. &c.* 2do. In Responsoris Dominatum Quadragesimæ continentur, quæ eo tempore nos oportet facere, scilicet corrigere mores, jejunare, plorare, orare, patientes esse, vigilare, pœnitentiam agere, cleêmofynas dare. 3tio. In triduo hebdomadæ sanctæ Invitorium omittitur in detestationem invitationis Judæorum ad conciliabula contra Christum instituenda, & in signum doloris ac compassionis erga patientem & morientem Christum. Adhæc Apostoli tunc dispersi erant, qui alios ad Dominum invitare consueverant. 15. candelæ accenduntur in candelabro triangulari ad fidem de SS. Trinitate denotandam, quæ tunc in B. V. 11. Apostolis & tribus piis fœminis vigeat. Suntque candelæ